non ita pridem emendatam elaborationem suam receperunt, in eo hodiè toti sunt occupati, ut è perorantium Cathedrâ Vobis, Venerandi Auditores, praesentibus recitent, quod filo ac stylo suo latius deduxerint. Laudo proinde pium eorundem ausum, sed et vestrum, Viri honoratissimi, promptum laudo, postquam officiosissimè invitati frequenter accessistis, accessum, laudo consessum, quippe qui utergȝ vel ideo factus, ut audiatis, quid praestiterit hactenus in Dominicae Passionis pia meditatione pubes Scholastica. Juxta autem hac summoperè contendo, ut nunc omnem mentis aciem benignissimè intendatis, auriumque benevolarum vacivas aedes reseretis, dum Pathopoëtae nonnulli prodituri, omneque suum studium ac operam eò collaturi sint, ut Jesus à Vobis oculis mentis cernatur, prout ipse quidem Deo Patri ad rigorem Justitiae vindicativae pro nobis primùm in sacro Oliveti horto, deinde in magno Pontificis Palatio, post in amplo Pilati praetorio, tandem in diro crucis supplicio satisfecisse ab Evangelistis memoratur. Neque Pathopoëtas tantùm benevolè audiatis, peto, sed et quatuor illos antecessores eâdem audientiâ dignemini, oro, rogo, obsecro, qui extra cathedram in elatiori loco passionali huic inservient scenae. Etenim ita est, quod duo ex illis Historiam Passionis ac mortis Dominicae, alter quidem Carmine Latino, alter Teutonico praecinent; duo autem reliqui confusum in Passione ac morte Dominicâ rerum ordinem, alter quidem sermone Latino, alter Teutonico praefabuntur, ut ne quicquam in hoc Actu desiderari videatur. Quid porrò? ~ vela jam contraho Orationis meae, et ad rudium me recipio, id unicum etiam adjiciam in hoc sermonis mei calce rogans, ut, qui non Oratoria pigmenta, non ingeniosas ac defatigantes periphrasiunculas hodiè desideratis, institutum nostrum tanto libentius approbetis, quanto religiosius id esse Vobismet ipsis persuasum habetis. :/:

DIXI.

Joachimus Hildebrand,
Ab [illegible] Eq. Lus.
[illegible]